Q. CICERONIS
de Petitione Consulatus
AD M. TVLLIVM fratrem Liber.

Multis in locis emendatus, annotationibúsque Leodegarij à Quercu illustratus.

EDITIO SECVNDA LOCVPLETIOR PRIORE.

PARISIIS,

Apud viduam P. Attaignant in vico Citharæ ad ædem Diui Cosmæ.

1558.

Q. Ciceronis de Petitione *CONSVLATVS AD M. Tullium fratrem Liber.*



TSI tibi omnia ſuppetunt ea qnæ conſequi ingenio, aut vſu homines, aut diligentia poſſunt, tamen ab amore noſtro non ſum alienum arbitratus, ad te perſcribere ea quæ mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti, non vt aliquid ex iis noui adiicerem, ſed vt ea quæ in re diſperſa atque infinita viderentur eſſe, ratione & diſtributione ſub vno aſpectu ponerentur. Quanquam plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum menſium negotio poſſe ſimulatio naturam vincere. Ciuitas quæ ſit cogita, quid petas, qui ſis. Propè quotidie ad forum tibi deſcendenti meditandum hoc ſit, Nouus ſum, Conſulatum peto, Roma eſt. Nominis nouitatem dicendi gloria maximè ſubleuabis. Semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non poteſt, qui dignus habetur patronus conſularium, indignus Conſulatu putari. Quamobrem, quoniam ab hac laude proficiſceris, & quicquid es, ex hoc es: ita paratus ad dicendum venito, quaſi in ſingulis cauſis iudicium de omni ingenio futurum ſit. Eius facultatis adiumenta, quæ tibi ſcio eſſe ſepoſita, vt prompta ac parata ſint, cura: & ſæpe, quæ de Demoſthenis ſtudio & exercitatione ſcripſit Demetrius recordare: deinde vt amicorum & multitudo & genera appareant. Habes enim ea quæ noui habuerunt, omnes publicanos, totum ferè Equeſtrem ordinẽ, multa præterea municipia, multos abs te*

* te

defensos homines cuiusque ordinis, aliquot collegia, præterea studio dicēdi cōciliatos plurimos adolescentulos, quotidianā amicorum aßiduitatē & frequentiam. Hæc cura & vt teneas cōmendando, & rogādo, & omni ratione efficiendo, vt intelligāt qui debent tua causa, referendæ gratiæ, & qui volunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullum fore. Etiam hoc multum videtur adiuuare posse nouum hominem, hominum nobilium voluntas, & maximè Consularium. Prodest, quorum in locum ac numerum peruenire velis, ab his ipsis illo loco ac numero dignum putari. Hi rogandi omnes sunt diligenter, & ad eos allegandum: persuadendúmque est iis, nos semper cum optimatibus de Rep. sensisse, minimè populares fuisse: siquid locuti populariter videmur, id nos eo cōsilio fecisse, vt nobis Cn. Pōpeium adiungeremus: vt eū qui plurimū posset, aut amicū in nostra petitione haberemus, aut certè non aduersarium. Præterea adolescentes nobiles elabora vt habeas, vel teneas studiosos quos habes: multum dignitatis afferent, Plurimos habes, perfice vt sciant, quantū in his putes esse. Si adduxeris, vt ij qui nolunt, cupiant, plurimum quidem proderunt. Ac multum etiam nouitatem tuam adiuuat, quòd eiusmodi nobiles tecū petunt, vt nemo sit qui audeat dicere, plus illis nobilitatē, quàm tibi virtutem prodesse oportere. * Nam *Iam P. Galbā, & L. Caßiū summo loco natos, quis est qui petere Consulatū putet? Vides igitur amplißimis ex familiis homines, quia sine neruis sint, tibi pares esse non posse. At Antonius & Catilina molesti sūt. Imò homini nouo, industrio, innocenti, diserto, gratioso apud eos qui res iudicant, optandi competitores, ambo sicarij, ambo libidinosi, ambo egentes. Eorum alterius bona proscripta vidimus, vo-*

*cem denique adiuimus iurantis se Romæ indicio æquo cum homine Græco certare non posse, & ex Senatu eiectum scimus. Optima verò Censorũ existimatione in Prætura competitorem habuimus, amico Sabidio, & Panthera, ꝙ ad tabulã quos poneret non habebat: quo tamen in magistratu amicã, quã palã domi haberet, de machinis emit. In petitione autem Consulatus caupones omnes hic compilare per turpissimam legationem maluit, quàm adesse, & pop. Romano supplicare. Alter verò, dij boni, quo splendore est? Primùm nobilitate eadem, qua Catilina num maiore? non, sed virtute. Quamobrem qui inanius vmbrã suam metuit, hũc negliges quidem, natũ in patris egestate, educatum in sororis stupris, corroboratũ in cæde ciuium: cuius primus ad Rempublicã aditus in Equitibus Romanis occidẽdis fuit. Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum ac Vanniorum, ac Tanusiorum capita demebãt, Sylla vnum Catilinam præfecerat: in quibus ille hominem optimum Quintum Cæcilium sororis suæ virum, Equitem Romanum, nullarum partium, quum semper natura, tum etiam ætate iam quietum, suis manibus occidit. Quid ego nunc dicam petere eum tecum Consulatum, qui hominem charissimum populo Romano M. Marium inspectãte populo Romano * vitibus per totam vrbem ceciderit, ad bustũ egerit, ibi omni cruciatu lacerarit, viuo stanti collum gladio sua dextra secuerit, quum sinistra capillum eius à vertice teneret, caput sua manu tulerit, quum inter digitos eius riui sanguinis fluerẽt? qui postea cum histrionibus & cum gladiatoribus ita vixit, vt alteros libidinis, alteros facinoris adiutores haberet: qui nullum in locum tam sanctũ & tam religiosum accessit, in quo*

* virgis

non, etsi in aliis culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionẽ relinqueret: qui ex curia Curios & Annios, ab atriis Sapalas & Caruilios, ex Equestri ordine Pōpilios

*Vectios & *Cneios sibi amicissimos compararit: qui tantũ habet audaciæ, tantum nequitiæ, tantum denique in libidine artis & efficacitatis, vt propè in parentũ gremiis prætextatos liberos constuprarit? Quid ego nunc tibi de Africa, quid de testium dictis scribam? Nota sunt, & ea tu sæpius legito. Sed tamẽ hoc mihi non prætermittendum videtur, quod primùn ex eo iudicio tam egens discessit, quàm quidam iudices eius ante illud iudiciũ fuerũt: deinde tam inuidiosus, vt aliud in eum iudiciũ quotidie flagitetur. Hic se sic habet, vt magis timeat etiam si quieuerit, quàm vt contemnat, siquid commouerit. Quantò melior tibi fortuna petitionis data est, q̃ nup̃ homini nouo C. Cælio? Ille cũ duobus hominibus ita nobilissimis petebat vt tamen in iis omnia pluris essent, q̃ ipsa nobilitas: summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio ac diligẽtia petẽdi. Tamen eorũ alterum (cùm deesset alter) Cælius cùm multo esset inferior genere, superior nulla re, penè superauit. Quare si facies ea quæ tibi natura & studia, quibus vsus es semper, largiuntur, quæ temporis tui ratio desiderat, quæ potes, quæ debes: non erit difficile certamẽ cum iis competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes, quàm vitiis nobiles. Quis enim reperiri tã improbus ciuis potest, qui velit vno suffragio duas in Rempub. sicas destringere? Quoniã igitur quæ subsidia nouitatis haberes, & habere posses, exposui, nũc de magnitudine petitionis dicendum videtur. Consulatum petis: quo honore nemo est qui te non dignum arbitretur: sed multi, qui inuideant. Pe-

*tis enim homo ex Equestri loco summum locum ciuitatis: atque ita summum, ut forti homini, diserto, innocēti, multò ille idem honos plus amplitudinis quàm cæteris afferat. Noli putare eos qui sunt eo honore usi, non videre, tu cum idem sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis. Eos verò, qui Consularibus familiis nati locum maiorum consecuti non sunt, suspicor tibi, nisi qui admodum te amant, inuidere. Etiam nouos homines Prætorios existimo, nisi qui tuo beneficio iuncti sunt, nolle abs te se honore superari. Iā in populo quàm multi inuidi, quàm multi consuetudine horum annorum ab honoribus nouis alienati, venire tibi in mētem certò scio. Esse etiā nonnullos tibi iratos ex iis causis quas egisti, necesse est. Iam illud tute circunspicito, quòd ad Cn. Pompeij gloriam augēdam tanto studio te dedisti, num quos tibi putes ob eam causam esse amicos. Quamobrem quum & summum locum ciuitatis petas, & videas esse studia quæ tibi aduersentur: adhibeas necesse est omnem rationem, & curā, & laborem, & diligentiam. Et petitio magistratuum diuisa est in duarū rationum diligentiam: quarum vna in amicorum studijs, altera in populari voluntate ponēda est. Amicorum studia, beneficiis, & officiis, & vetustate, & facilitate, ac iucunditate naturæ parta esse oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quàm in cætera vita. Quisquis est enim qui ostendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habēdus. Sed tamen qui sunt amici ex causa honestiore, cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicuius necessitudinis, his charū & iucundum esse maximè prodest. deinde vt quisq; est * intimus ac maxime domesticus, vt is amet, quisque * amplissimum esse te cu-*

*optimus

*fidelissimum

piat, valde elaborãdũ est: tum vt tribules, vt vicini, vt clientes, vt deniq; liberti, postremo etiã * serui tui. nam ferè omnis sermo ad forensem famam à domesticis emanat authoribus. Deinde instituendi sunt cuiusque generis amici ad speciẽ hominis illustris honore ac nomine: qui etiam si suffragandi studia non nauãt, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad iustitiam obtinendã. Magistratus, ex quibus maxime Consules, deinde Tribunos pleb. ad conficiendas centurias homines excellenti gratia, qui tribuent centuriam, vt aliquod ex te beneficium aut habeant, aut vt habeant sperẽt, eos prorsus magnopere & cõpara & confirma. Nam per hos annos homines ambitiosi vehementer omni studio atque opera laborarunt, vt possent à tribulibus suis ea quæ petereut impetrare. Hos tu homines, quibuscunque rationibus poteris, vt ex animo, atque ex illa summa voluntate tui studiosi sint, laboroto. Quòd si satis grati homines essent, hæc tibi omnia parata esse debebant, sicut parata esse confido: Nam hoc biennio quatuor sodalitates hominum ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, M. Fundanij, Q. Galli, C. Cornelij, *L. Coruini: & horũ in causis ad te defferendis quid nã tibi eorũ sodales receperint & cõfirmauerint, scio: nam interfui. Quare hoc tibi faciẽdum est, vt idem ab iis quod debẽt exigas, sæpe commonendo, rogando, cõfirmando, curando vt intelligãt nullum tempus aliud se vnquam habituros * referendæ gratiæ. Profecto homines & spe reliquorum tuorum officiorum, etiam recentibus beneficiis ad studium * nauandum excitabuntur. Et omnino quoniam eo genere amicitiarum petitio tua maximè * initiata est, quod causarum defensionibus adeptus es: fac vt plane iis * omnibus quos deuinctos

* seruitus
* C. Orchini:
* restituendæ
* seruandum
* munita
* Hominibus,

tenes, descriptum ad dispositum suum cuique munus sit. Et quemadmodum memini, quod nulla in re illis vnquam molestus fuisti, sic cura vt intelligant omnia te, quæ ab illis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reseruasse. Sed quoniam tribus rebus homines maximè ad beneuolentiam, atq; hæc suffragandi studia ducuntur, beneficio, spe, adiunctione animi vel voluntate, animaduertendum est, quemadmodum cuique horum generi sit inseruiendum. Minimis beneficiis homines adducuntur, vt satis causæ putent esse ad studium suffragationis, nedum ij quibus saluti fuisti, quos tu habes plurimos: * non intelligant, si hoc tuo tempore non tibi satis fecerint, se probatos nemini vnquam fore, Quod quum ita sit, tamen rogandi sunt, atque etiam in hanc opinionem adducendi, vt, qui nobis adhuc abligati fuerint, iis vicissim nos obligari adhuc posse videamur. Qui autem spe tenentur, quod genus hominum multò est diligentius atque officiosius, iis fac vt propositum ac paratum auxilium tuum esse videatur: denique vt spectatorem te suorum officiorum esse intelligant diligentem: vt videre te planè atque animaduertere, quantum ab vnoquoq; proficiscatur, apareat. Tertium* genus est studiorum voluntarium· quod agendis gratiis, accommodandis sermonibus ad eas rationes propter quas quisque studiosus esse videbitur, significāda erga illos pari volūtate, adducenda amicitia in spem familiaritatis & consuetudinis confirmari oportebit. Atque in iis omnibus generibus indicato & perpēdito quātum quisque posit, vt scias & quemadmodum cuique inseruias, & quid à quoque expectes & postules. Sunt enim quidā homines in suis* vicinitatibus & municipiis gratiosi, sunt diligentes & copiosi: qui etsi antea*

*se dedisse

* &

* illud genus

* ciuitatibus

non studuerunt huic gratiæ, tamen ex tẽpore elaborare eius causa cui debent & volunt, facilè possunt. His hominũ generibus sic inseruiendum est, vt ipsi intellĩgãt te videre quid à quoque expectes, sentire quid accipias, meminisse quid acceperis. Sunt autem* qui aut nihil pos͞sũt, aut odio sunt etiã tribulibus suis, nec habent tantum animi aut facultatis, vt nitãtur ex tempore. Hos vt internoscas, videto, ne spe in aliquo maiore posita, præsidij parum cõparetnr. Et quanquam partis & fundatis amicitiis fretum ac munitũ esse oportet, tamen in ipsa petitione amicitiæ permultæ ac perutiles comparantur. Nam in cæteris molestiis habet hoc tamen petitio commodi, vt possis honeste, quod in cætera vita non queas, quoscũque velis, adiungere ad amicitiam: quibus cum si alio tempore agas vt te vtantur, absurdè facere videare. In petitione autem nisi id agas & cum multis & diligenter, nullus petitor esse videare. Ego autem tibi hoc confirmo, esse neminem, nisi aliqua necessitudine cõpetitorum alicui tuorum sit adiunctus, à quo non facile, si cõtenderis, impetrare possis, vt suo beneficio, ꝓmereatur, se vt ames, & sibi vt debeas, modò intelligat te magni æstimare, ex animo agere, bene se ponere, fore ex eo non breuem & suffragatoriam, sed firmã & perpetuam amicitiam. Nemo erit, mihi crede in quo modò aliquid virtutis sit, qui hoc tempus sibi oblatũ amicitiæ tecum constituendæ prætermitat. præsertim quũ tibi hoc casus afferat, vti tecum petant, quorũ amicitia aut cõtemnenda aut fugienda sit, & qui hoc quod ego te hortor, nõ modò non assequi, sed ne incipere quidẽ possint. Nam quid incipiat Antonius homines adiũgere, atque inuitare ad amicitiam, quos per se suo nomine appellare non possit? Mihi quidem stul-*

* aut
* ilij, qui

tius nihil videtur, quàm existimare eũ studiosum tui, quem nõ noris. Eximiam quandam gloriam, & dignitatẽ ac rerum gestarum magnitudinẽ esse oportet in eo, quẽ homines ignoti nullis suffragantibus meritis honore afficiant. Nanque vt homo iners, sine officio, sine ingenio, cũ infamia, nullis amicis septus, hominem plurimorum studio atque omnium bona existimatione munitum præcurrat, sine magna culpa negligentiæ fieri nõ potest. Quãobrem omnes centurias multis & variis amicitiis cura vt confirmatas habeas, & primùm id quod ãte oculos situm est, Senatores, Equitésque Rom. cæterorum hominum nauos homines & gratiosos complectere. Multi homines vrbani industrij,* multi libertini in foro gratiosi nauíque versantur: quos per te, quos per cõmunes amicos poteris sumere. cura vt tui cupidi sint, elaborato, appetito, allegato, sũmo beneficio te affici ostendito. Deinde* rationem habeto vrbis totius, collegiûm omnium pagorũ, vicinitatũ. Ex iis principes ad amicitiam tuam si adiunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis. Postea totam Italiam fac vt in animo & memoria tibi* tributim distinctam cõprehensamq; habeas: ne quod municipium, coloniam, præfecturã locum deniq; Italiæ ne quem esse pat'are, in quo non habeas firmamenti, quod satis esse possit. Perquiras etiam & inuestiges homines ex omni regioue, eósque cognoscas, appetas, confirmes, cures vt in suis vicinitatibus tibi* aliquot petãt, ac tua causa quasi cãdidati sint. Volent te amicũ, si suã à te amicitiã expeti videbũt. Id vt intelligant, oratione, quæ ad eam rationẽ pertinet, consequere. Homines municipales, ac rustícani,* nomine nobis noti, in amicitia se esse arbitrantur. Si verò etiam præsidij si aliquid sibi constituere putant,

* multi libertini gratiosi: in foro nãque versãtur, quon, &c.

*oratores

*distributã

*aliquos

* nomine tãtum, noti in &c.

non amittunt occasionem promerendi. Hos cæteri & maximè tui competitores ne norunt quidem: tu & nosti, & facile cognosces sine* quo amicitia esse non potest. Neque id tamen satis est tametsi magnum est: sed vt consequatur spes vtilitatis atque amicitiæ, ne nomenclator solum, sed amicus etiam bonus esse videare. Ita quum & hos ipsos propter suã ambitionem, qui apud tribules suos plurimum gratia possint, studiosos in centuriis habebis, & cæteros qui apud aliquam partem tribuliũ propter municipij aut ciuitatis aut collegij rationem valent, cupidos tui constitueris: in optima spe esse debebis. Iam equitum centuriæ multe facilius mihi diligentia posse teneri videntur. Primum* cognoscis equites, pauci enim sunt, deinde* adepti. multò enim facilius illa adolescentulorum ad amicitiam ætas adiungitur. Deinde habebis tecum ex iuuentute optimum quenque, & studiosissimum humanitatis. tum Equester ordo sequetur illius authoritatem ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia, vt non ordinis illius auctoritatem solùm voluntate, sed etiam singulorum amicitiis eas centurias confirmatas habeas. Iam studia adolescentulorum in suffragando, in obeũdo, in nunciando, in assectãdo mirificè & magna & honesta sunt. Et quoniam assectationis mẽtio facta est, id quoq; curandũ est, vt quotidiana cuiusque generis & ordinis & ætatis vtare. Nam ex ea ipsa copia coniectura fieri poterit, quãtum sis in ipso campo virium ac facultatis habiturus. Huius autẽ rei tres partes sunt: vna salutatorũ, quum domum veniunt: altera deductorum; tertia assectatorum. In salutatoribus, qui magis vulgares sũt, & ad hanc consuetudinem quæ nũc est, plures veniunt, hoc efficiendũ est, vt hoc ipsum minimũ offi-

*queis

*cognoscẽdi sunt

*adipiscẽdi

cium eorũ tibi gratißimũ esse videatur, Qui domũ tuã venient, his significato te animaduertere, & eorũ amicis qui illis renũcient, ostẽdito, sæpe ipsis dicito. Sic homines sæpe quũ obeunt plures cõpetitores, & vident vnum esse aliquem qui hæc officia maximè animaduertat, ei se dedunt, deserunt cæteros minutatim ex communibus proprij, ex fucosis firmi suffragatores euadunt. Iam illud teneto diligẽter, si eum qui tibi promiserit, fucum, vt dicitur, facere velle sẽseris, vt te id audisse aut scire dißimules: Si quis tibi se purgare volet, ꝙ suspectum esse arbitretur, affirmes te de illius voluntate nũquam dubitasse, nec debere dubitare. Is enim qui se nõ putat satisfacere, amicus esse nullo modo potest. Scire autem oportet quo quisque animo sit, vt* & quãtum cuiq; confidas, constituere possis. Iam deductorũ officiũ* quo maius est quàm salutatorum, hoc gratius tibi esse significato atq; ostendito, & quo ad eius fieri poterit, certis temporibus descendito. Magnã affert opinionẽ magnam dignitatẽ quotidiana in deducẽdo frequẽtia. Tertia est ex hoc genere aßidua assectatorum copia. In ea quos voluntarios habebis, cura vt intelligãt te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. Qui autem tibi debẽt, ab iis planè hoc munus exige: qui per ætatem ac negotium poterũt, ipsi tecũ vt aßidui sint: qui si ipsi sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere cõstituant. Valde ego te volo, & ad rem pertinere arbitror, sẽper cum multitudine esse. Præterea magnam affert laudem, & summam dignitatem, si ij tecum erunt, qui à te defensi, & qui per te seruati, ac iudiciis liberati sunt. Hæc tu planè ab iis postulato, vt quoniam nulla impẽsa per te alij rem honestam, alij salutem ac fortunas omnes obtinuerunt, nec aliud vllum tempus futurum sit, vbi tibi re-

*etiam
*quod

ferre gratiã poßint, hoc te officio remunerent. Et quoniom in amicorum studiis hæc omnis oratio versatur, qui locus in hoc genere cauendus sit, prætermittendum non videtur. Fraudis atq; insidiarum & perfidiæ plena sunt omnia. non est huius temporis perpetua illa de hoc genere disputatio, quibus rebus beneuolus & dißimulator diiudicari poßit. Tantum est huius temporis admonere. Summa tua virtus eosdem homines & simulare tibi se esse amicos & inuidere cogit. Quamobrem Epicharmion illud teneto, Neruos atq; artus esse sapientiæ, non temere credere. Et quum tuorũ amicorũ studia cõstitueris, tum etiam obtrectatorũ atque aduersariorum rationes & genera cognoscito. Hæc tria sunt: Vnũ ex iis quos læsisti: alterum, qui sine causa non amant: tertium, qui cõpetitorum valde amici sunt. Quos læsisti quum cõtra eos pro amico diceres, iis te purgato plane, neceßitudines commemorato, in spem adducito: te in eorũ rebus, si se in amicitiam cõtulerint, pari studio atq; officio futurum spondeto. Qui sine causa non amant, eos aut beneficio, aut spe, aut significando tua erga illos studia futura, delinies: dans operam, vt de illa animi prauitate deducas. Quorum voluntas erit abs te propter cõpetitorum amicitias alienior, his quoque eadem inserui oratione, qua superioribus: & si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos beneuolo esse animo ostendito. Quoniam de amicitiis constituendis satis dictum est, dicẽdum est de illa altera parte petitionis, quæ in populari ratione versatur. Ea desiderat nomenclationẽ, blanditiam, aßiduitatem, benignitatem, rumorem, spem, in Rep. Primum, id quod facis, vt homines noris, significa, vt appareat: & auge, vt quotidie melius fiat. Nihil mihi tam populare, neq; tam gratũ videtur.

Deinde, id quod natura non habes, induc in animũ ita ſimulandũ eſſe, vt natura facere videare. Non cõmittas tibi neceſſe eſt, ea, quæ bono ac ſuaui homine digna eſt, ſed opus eſt magnopere blãditia: quæ etiam ſi vitioſa eſt & turpis in cætera vita, tamẽ in petitione eſt neceſſaria. Tibi enim quũ deteriorem aliquẽ aſſentando facit, improba eſt: quum amiciorem nõ tam vituperãda. petitori verò neceſſaria eſt, cuius & frons & vultus & ſermo ad eorum, quoſcunque conuenerit, ſenſum & voluntatem cõmutandus eſt. Iam aſsiduitatis nullum eſt præceptum, verbúmque ipſum docet, quæ res ſit. Prodeſt quidem vehementer nuſquam deeſſe, ſed tamen hic fructus eſt aſsiduitatis, non ſolum eſſe Romæ atque in foro, ſed aſsiduè petere, ſæpe eoſdem appellare, non cõmittere vt quiſquã poſsit dicere, quod eius ſit conſequi poſsis, ſi abs te non ſit rogatum & valde ac diligẽter rogatum. Benignitas autẽ latè patet, & eſt in re familiari: quæ quanquam ad multitudinem peruenire nõ poteſt, tamen ab amicis laudatur, multitudini grata eſt. Eſt in conuiuiis, quæ facerè abs te, & amicis tuis cõcelebrentur, & paſsim, & tributim: Eſt etiã in opera, quã peruulga & cõmunica. Cura vt aditus ad te diurni atq; nocturni pateant, neque foribus ſolùm ædium tuarũ, ſed etiã vultu & fronte, quæ eſt animi ianua. Quæ ſi ſignificant volũtatẽ abditã eſſe ac retruſam, parui refert patere oſtiũ. Homines enim nõ modò promitti ſibi, præſertim quæ à candidato petãt, ſed etiam largè ac honorifice promitti volunt. Quare hoc quidem facile præceptũ eſt, vt, quod acturus ſis, id ſignifices te ſtudioſe ac libenter eſſe facturum Illud difficilius, & magis ad tẽpus quàm ad naturam accõmodatum tuam: quod facere non poſsis, vt id iucunde neges. quorum alterum

*est boni viri, alterum boni petitoris. Nam quum id petitur. quod honestè aut sine detrimento nostro promittere non possumus, quomodo si quis roget, vt contra amicum aliquā causam recipiamus: belle negandum est, vt ostendas uecessitudinem, demonstres quàm molestè feras, aliis te id rebus * executurum esse persuadeas. Audiui hoc dicere quendam de quibusdā oratoribus, ad quos causam suam detulisset, gratiorem sibi orationē fuisse eius qui negasset, quā illius qui recepisset. sic homines fronte & oratione magis quàm ipso beneficio réque capiuntur. Verùm hoc probabile est. illud alterum subdurum tibi homini * Platonico suadere. sed tamē tempori tuo consulam. Quibus enim propter aliquod officium necessitudinis affuturū negaris, tamen iij possunt abs te placati æquique discedere: quibus autē idcirco negaris, quod te impeditū esse dixeris aut amicorum negotiis, aut grauioribus causis, vt ante susceptis, inimici * discedunt omnes qui hoc animo sunt, vt sibi te mentiri malint, quàm negare. C. Cotta in ābitione artifex, dicere solebat, se operam suam) quòd non cōtra officium rogaretur) polliceri solere omnibus, impertire iis apud quos optime poni arbitraretur: Ideóque se negare nemini, quòd sæpe accideret causa, cur iis * cui pollicitus esset, non vteretur: sæpe vt ipse magis esset vacuus quàm putasset: neque posse domum eius compleri, qui tantum modò reciperet, quantum videret se obire posse: casu fieri, vt agantur ea quæ non putaris: illa quæ credideris in manibus esse, vt aliqua de causa non agantur: Deinde esse extremum, vt irascatur is cui mendacium dixeris. Id si promittas, & incertum est, & in diem, & in paucioribus. sin autem id neges, statim abalienāt se, & inimicātur. Plures enim multo sunt*

* exacturū
* planè perito
* discedūt, omnésq; hoc &c.
* qui

*qui rogant vt vti liceat opera alterius, quàm qui vtantur. Quare satius est, ex iis aliquos aliquando tibi in foro irasci, quàm omnes continuo domi: præsertim quum multò magis irascantur iis qui negẽt quàm ei quem videant ea causa impeditum, vt facere quod promisit, cupiat, si vllo modo possit. At ne videar aberrasse à distributione mea, qui hæc in hac populari parte petitionis disputem: hoc sequor, hæc omnia nõ tam ad amicorum studia, quam ad popularem famam pertinere. Etsi inest aliquod dictum ex illo genere, benignè respondere, studiosè inseruire negotiis amicorum ac periculis: tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere possis, vt de nocte domus compleatur, vt multi spe tui præsidij teneantur, vt amiciores abs te discedant quàm accesserint, vt quamplurimorum aures optimo sermone * compleantur. Sequitur enim, vt de rumore dicẽdum sit, cui maximè seruiendum est. Sed quæ dicta sunt omni superiori oratione, eadem ad celebrandum rumorem valent, dicendi laus, studia publicanorum & Equestris ordinis, hominum nobilium volũtas, adolescentulorum frequentia, eorum, qui abs te defensi sũt, assiduitas, ex municipiis multitudo eorũ, quos tua causa venisse appareat. bene homines nosse, comiter appellare, assiduè ac diligẽter petere, benignũ ac liberalem esse, bene loqui existimare: domus vt multa nocte cõpleatur, omnium generũ frequẽtia adsit, satisfiat oratione omnibus, re operaq; multis *perficiatur. id ꝙ fieri potest labore, & arte, ac diligẽtia, non vt ad populum ab iis omnibus fama perueniat, sed vt in iis studiis populus ipse versetur. Iam vrbanã illã multitudinẽ, & eorũ studia qui conciones tenent, quæ adeptus es in Pompeio ornãdo, in Manilij causa recipiẽda, Cornelio defendẽ-*

*cõpleant.

* proficiatur.

* quin do, excitanda nobis sunt: quæ adhuc habuit nemo, * qui idem splẽdorem hominum voluntatésq; haberet. Efficiendúmque etiã illud est, vt sciant omnes, Cn. Põpeij summã erga te esse voluntatem, & vehemẽter ad illius rationes, te id assequi ꝙ petis, pertinere. Postremò tota petitio cura vt põpæ plena sit, vt illustris, vt splendida, vt popularis, vt habeat summã speciẽ ac dignitatẽ, vt etiam si quid posit, ne cõpetitoribus tuis existat aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accõmodata ad eorum mores infamia. Atque etiã in hac petitione maximè videndũ est, vt spes Romani populi bona de te sit, & honesta opinio. Nec tamen in petendo Respub. capessenda est, neque in Senatu, neque in cõcione. sed hæc sunt tibi retinenda, vt Senatus te existimet ex eo quòd ita vixeris, defensorẽ authoritatis suæ fore: & Equites Romani & viri boni & locupletes, ex vita acta te studiosum otij atque rerum tranquillarũ: multitudo ex eo duntaxat, quòd oratione in cõcionibus ac iudicio popularis fuisti, te à suis cõmodis alienũ non

* comotionibus futurũ. Hæc mihi veniebant in mentem de duabus illis * cõmonitionibus matutinis, quo tibi quotidie ad forũ descẽdenti meditandũ esse dixeramus: Nouus sum, Cõsulatum peto.

* Roma est, ciuitas Tertiũ restat, * Romana est ciuitas ex nationũ conuẽtu constituta: in qua multæ insidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia versantur. multorũ arrogãtia, multorũ cõtumacia, multorũ maleuolentia, multorũ superbia, multorũ odium ac molestia perferenda est. Video esse magni consilij atq; ar-

* cuiusque modi tis, in tot hominũ * huiusmodi vitiis tantisq; versantẽ vitare offensionẽ, vitare fabulã, vitare insidias, esse vnum hominem accõmodatum ad tantam morũ ac sermonum & volũtatũ varietatẽ. Quare etiam atq; etiam perge tenere istam

*viam, quam instituisti: excelle dicendo. hoc tenentur Romæ homines, & alliciuntur. & ab impediẽdo ac lædendo repellũtur. Et quoniã in hoc vel maximè vitiosa est ciuitas, quòd, largitione interposita, virtutis ac dignitatis obliuisci solet, in hoc fac vt te bene noris, * vt intelligas eum esse te, qui iudicij ac periculi metũ maximum cõpetitoribus afferre possis. Fac itaq; vt se abs te custodiri atq; obseruari sciant: tum diligentiam tuam, tum authoritatem vimque dicẽdi, tum profectò Equestris ordinis erga te studium pertimescent. Atque hæc ita te volo illis proponere, vt videare* accusationem iam meditari, sed vt hoc terrore facilius hoc ipsum quod agis, consequare. Et planè sic contẽde omnibus neruis ac facultatibus, vt adipiscamur quod petimus. Video esse nulla comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquæ centuriæ renũcient suòs maximè necessarios. Quare si aduigilamus pro rei dignitate, & si nostros ad summũ studium beneuolos excitamus, & si hominibus studiosis gratiosisque nostri suum cuiq; munus describimus, & si competitoribus * iudicia proponimus, si Equestribus metũ iniicimus, diuisores ratione aliqua coercemus: perfici potest vt largitio nulla fiat, aut nihil valeat. Hæc sunt quæ putaui non melius scire me quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere vnum in locum posse, & ad te perscripta mittere. Quæ tametsi ita scripta sunt, vt non ad omnes qui honores petant, sed ad te propriè, & ad hanc tuam petitionem valeant, tamen tu si quid mutandum esse videbitur, aut omnino tollẽdum, aut si quid erit præteritum, velim hoc mihi dicas. Volo enim hoc commẽtariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.*

*id est vt

* ocasionẽ non

*indicia

FINIS.



LEODEGARII A QVERCV

ad clarißimum ſuum Mecœnatem Philippum Lenuncurium, Epiſcopum Antißiodorenſem Epigramma nuncupatorium.

Quenque deum veteres vt re decorare ſolebant,
Quæ cuique in ſummis delitiis fuerat,
Sic, ô Muſarum deus inclyte, te colo Muſis,
Quòd tibi nil Muſis gratius eſſe ſciam.
Hos igitur tenues Muſarum ſumito fœtus,
Quos euulgo tuo nomine, & auſpicio.
Aſſere iure tibi ſi vis, & vendica, & aufer,
Inuaſiſti etenim primus in hæc vacua.
Hæc naturali tua ſit poſſeſsio lege,
Huius ſis ſolus mancipio dominus.

Vale.

Leodegarij à Quercu in librum
QVINTI TVLLII CIC. DE Petitione Consulatus ad M. Tullium fratrem, Scholia.

ARGVMENTVM.



VINTVS Tullius Cicero cùm videret Marc. Fratrem flagrare desiderio Consulatus assequendi, scripsit in eius gratiam hoc(vt ipse appellat) commentarium petitionis Consulatus, vt eum diligenter instrueret, qua ratione cōsulatu potiretur: Tria autem Ciceroni sedulò spectanda capita proponit: Quis sit: quid petat: & in qua vrbe. Erat autem Cic. nouus & obscuro genere: pleraque autem nobilitas inuidia æstuabat, & violari putabat Consulatum, si ab ignobili gereretur, vt tradit Sallustius initio Catilinarij belli. Romæ vero omnia erant plena perfidiæ & insidiarum. Itaque amplitudinem Consularē assequi, summi erat laboris. Monet ergo Quintus fratrē Marcum, vt ab eloquentia sibi subsidium paret. Cæterum hic quintus vt eisdem perētibus ortus erat quibus & Marcus Cicero, sic ab eisdem præceptoribus institutus est, euasitque non modum in oratorem disertū, sed etiam in poëtam venustū, sed eius opera iniuria temporū perierūt.

Q. CICERONIS DE PETITIONE Consulatus, ad M. Tullium Fratrem liber.

IN exemplari manu scripto ita legitur. Quintus Cic. fratri salutem dicit.

Etsi tibi.) Marcus Antonius apud Ciceronem lib. 2. de Oratore, tria esse dicit, artem naturam, diligentiam, quæ hominem perficiant, quæ tria inesse Marco fratri hoc loco vult Quintus, vt eum beneuolum sibi reddat. Vtitur autem eadem præmunitione, qua Seruius Sulpitius ad Cic. in Epist. cuius initium est, Postquam mihi renunciatum est, lib. 4. Epistolarum familiarium: & qua præmunitione etiam vsus fuerat Cic. eodem lib. in epist. ad M. Marcellum, cuius initium est, Etsi te eo adhuc consilio vsum &c.

Vsu.) Per vsum intelligit experientiam & artem, quanquam tamen vsus potior sit & prior arte. Ars enim ex vsu est, non vsus ex arte, vt vult Antonius libro secundo de Oratore.

Diligentia.) Tantum tribuit Antonius orator ipsi diligentiæ, vt eius auxilio nos omnia consequi posse putet, vt tradit 2. de Oratore.

Perscribere ea.) Vult enim hoc commentariolum petitionis, haberi omni ratione perfectum.

Ratione & distributione.) Sic Antonius apud Cic.lib.2.de Oratore appellauit artem rationem.

Quanquam plurimum.) Præmunitio est, qua significat magnam quidem esse naturæ vim, atque difficile esse dediscere id quod natura penitus indiderit, atque inseruerit: sed tamen labor & longa exercitatio naturam vincit. Nam vt ait Horatius in epistola ad fuscum Aristium

„ Naturam expellas furca, tamen vsque recurret:

Naturam vincere.) Quanquam ô Marce Tulli tua natura prorsus abhorreat & aliena sit ab adulatione, & ineptiis, quibus vtendum est inter prensandum, tamen breui tempore poteris naturam tuam vincere, & blandè petere.

Ciuitas quæ sit cogita.) Hæc distributio perstringit tria capita, in quibus versatur tota petitionis ratio: quis petat, quid petat, vbi petat.

Propè quotidie.) Nam nulla erat ferè dies in qua non diceret pro reo.

Nouus sum.) Hinc illud Iuuenalis Satyra octaua.

„ Hic nouus Arpinas ignobilis, & modò Romæ
„ Municipalis eques, galeatum ponit vbique
„ Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.

Quin & Sallust.in sua oratione cōuiciatrice,& Catil. in oratione qua respondet inuectioni Ciceronis, exprobrat illi vilitatem.

Non potest) In hanc sententiam Iuuenalis satyra octaua,

„ Tamen ima plebe Quiritem
„ Facundum inuenies, solet hic defendere causas
„ Nobilis indocti, veniet de plebe togata
„ Qui iuris nodos & legum ænigmata soluat.

Demosthenis studio.) De studio & exercitatione Demosthenis scripsit Cic. sub calcem lib.1.de Oratore: & Quintil.lib. vndecimo cap. de pronunciatione: & Plutarchus in vita demosthenis. & Cic.lib.secundo de diuinatione: & Valerius maximus in titulo de studio & industria: vult ergo Quintus, vt Marcus Cicero exemplo Demosthenis vincat studio & exercitatione ea que obsint.

Demetrius.) Multi fuerunt Demetrij, sed hic locus intelligendus est de Demetrio Phalereo, qui Demosthenis æqualis fuit.

Habes enim.) Profert Quintus ea adiumenta quæ M. Cic. habeat ad Consulatus petitionem: id autem ideo facit, vt fratrem in bonam spem adducat & ad petendum excitet.

Omnes publicanos.) Vlpianus in L.1. sub T.pandectarum de publicanis & vectigalibus, scribit publicanos nomen habere quòd fruantur publico, hoc est vectigali. sunt enim illi qui vectigalia & alios populi Romani reditus certo constituto pretio redimunt, erant autem de ordine equestri.

Aliquot collegia.) Collegia dicuntur sodalitates collegarum: vt collegium decemuirale, augurum, Pontificum, fratrum arualium.

Præterea studio.) Cic. enim in suis prædiis philosophabatur, & rhetoricabatur cum aliquot adolescentulis nobilibus, & ea de causa illorum beneuolentiam habebat sibi promptam & paratam.

Cn. Pompeium.) Fuit enim Pompeius valde popularis: id quod improbat Cic. lib.3.de legibus, cùm de tribunitia potestate agit, quem Cn.Pompeius reuersus ab Hispania & creatus Consul cum Marco Crasso restituit plebi.

Praeterea adolescentes.) Monet fratrem operam diligēter nauare vt nobiles quos iam conciliatos habet, beneuolè in amore retineat: quos verò nondum parauit, amanter conciliet.

Multum dignitatis.) Rationem subiicit cur ita moneat.

Plurimum quidem) Quoniam non solùm erunt ornamento, sed etiam auxilio, quoniam obscuri solent nobilibus suffragari.

Ac multum etiam.) Opponit nobilitati virtutem: quia in virtute est vera nobilitas, Etenim vt optimè Claudianus.

„ Virtutę decet non sanguine niti.

& Iuuenalis satyra octaua,

„ Tota licet veteres exornent vndique ceræ

„ Atria: nobilitas sola est atque vnica virtus.

Iam Publium Galbam) Cic. (vt scribit Asconius in orationem contra Caium Antonium & Catilinam) habuit sex competitores in Cōsulatu: duos Patricios, Publium Sulpitium Galbam, & Lucium Sergium Catilinā: quatuor plebeios, ex quibus duos nobiles, Caium Antonium, filium Marci Antonij oratoris, & Lucium Cassium Longinum, & Quintum Cornificium, & Caium Lucium Sacerdotem. solus Cic. ex equestri ordine erat. omnes autem competitores, excepto Catilina & Antonio modestè se aduersus Ciceronem gesserunt.

Gratioso apud eos.) Vocamus gratiosum in suffragiis, quem vulgus imperitorū, bonum in briga.

Libidinosi.) De libidine Catilinæ multa dixit Cic. in oratione quam habuit contra Catilinam & Antonium. cuius verba sunt, Cùm deprehēdebare in adulteriis, cùm deprehendebas adulteros ipse, cùm ex eodem stupro tibi & vxorem & filiam inuenisti.

Ambo egentes.) Sallustius de bello Catilinario scribit Caium Antonium fuisse omnibus necessitudinibus circumuentum, hoc est extremè pauperem: & Cicero in oratione contra Antonium & Catilinam, scribit Antonium vendidisse omne pecus & addixisse omnes saltus. At verò Catil. vt scribit Sallustius & Portius Latro in sua declamatione, pressus ære alieno, & egestate coactus, coniurauit in patriam.

Bona proscripta.) Caius Antonius à censoribus Gellio & Lentulo notatus est, quòd Achaicos spoliasset, & socios diripuisset, & quòd propter æris alieni magnitudinem bona eius vendita essent: itaque Senatu motus est.

Iurantis se Romæ.) C. Antonius acceptis turmis Syllanis Achaiam spoliauit: & cùm ad Marcum Lucullum prætorem peregrinum in ius raperetur, atque prætor decreuisset quod postulabant Achaici, Antonius appellauit tribunos, iurauitque se ideo recusare, quòd æquo iure vti non posset.

Existimatione.) Id est censura censorum de C. Antonio.

Tabula.) Vel de tabula auctionis vel censorum, vel iudicij loquitur.

In prætura competitorem.) Competitor Ciceronis fuit etiam in prætura C. Antonius, vt constat ex Ciceronis oratione contra Antonium & Catilinam.

De machinis emit.) Catastæ sunt machinæ ligneæ quibus vincti serui retinētur. significat ergo Quintus Cic. Caium Antonium ductum elegantia formæ cuiusdam seruæ quæ opus faciebat in neruo & compede, illam emisse & in deliciis habuisse.

Quo splendore?) Nobilis enim fuit C. Antonius, ob suum patrem M. Antonium oratorem.

Num maiore? Non sed virtute.) Etenim Catilina erat patricius, Caius autem Antonius nobilis. Cæterum legendum per interrogationem virtute? quasi neget potentiorem Catilina, quem Salustius fuisse ait magna vi animi & corporis.

Vmbram suam.) Vide prouerbium, Vmbram metuere, quod quadrat in hominem valde timidum.

Hic ne leges.) Locus à comparatis est: confert enim Antonij timiditatem cum audacia Catilinæ. De qua in Catilinariis,

In patris egestate.) Nam Catilina apud Sallustium ita testatur, Nobis est egestas domi, foris æs alienum.

Corroboratus in cædeciuium.) Cicero in oratione cõtra Antonium & Catilinam, sic scribit, Quem enim amicum habere potest is qui tot ciues trucidauit? & rursus, cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas præbuit, vt nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset.

Vitibus.) Centurio solebat cædere milites ramo vitis: hinc illud Iuuenalis satyra octaua.

„ Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,

„ Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Caput sua manu.) Scribit Asconius Ciceronem sæpius obiectasse ipsi Catilinæ, quòd caput Marci Marij Gratidiani plenum animæ & spiritus ad Syllam vsq; ab ianiculo ad ædem Apollinis manibus suis detulisset.

Qui ex curia.) Ex ordine Senatorio cõiurarunt cum Catilina Quintus Annius & Quintus Curius.

Ab atriis.) In atriis præcones erant, quemadmodum constat ex oratione Ciceronis pro Quintio, cùm scribit Næuium abductum fuisse ex atriis Liciniis in Galliam Narbonensem.

Prætextatos liberos.) Prætextatos appellamus nobiles pueros qui nondum attigerunt annum decimumseptimum, gerebãt prætextam vsque ad illum annum, & tùm induebant togam.

Quid ego nunc tibi.) Quemadmodum Asconius Pædianus annotauit, constat Catilinam ex prætura obtinuisse Africam, & spoliasse Africanos: qua de causa accusatus est de repetundis pecuniis à Publio Clodio, sed corruptis iudicibus absolutus est.

Quanto melior.) Locus est comparationis, per locum à minori ad maius.

Summa ingenia, summus pudor.) Cic. lib. 2. de Officiis scribit hæc non mediocriter conducere candidatis, & præstare, ne repulsam patiantur.

Quis enim reperiri.) Eadem iisdem verbis reperias apud Ciceronem in oratione contra Antonium & Catilinam. Asconius autem Pædianus interpretatur duas sicas, Antonium & Catilinam.

Quoniam igitur.) Oratoria est transitio: atque aggreditur secũdum membrum partionis, scilicet, vide quid petas.

Sed sunt multi qui inuideant.) Nam, vt scribit Sallustius, ante pleraque nobilitas inuidia æstuabat, & contaminari Consulatum putabat, si nouus homo quantumlibet egregius, eam dignitatem gereret.

Eos verò.) Proponit Quintus quàm arduum negotium sit consequi Consulatum, præsertim homini nouo: idque ideo facit, vt M. Cicero tantò magis elaboret, quantò res ipsa difficilior est.

Etiam nouos prætorios.) Prætura dignitas erat infra Consularem: itaque viri Prætorij superabantur honore à Consularibus.

Num quos tibi putes esse amicos.) Q. D. multos abalienauisti à te cum tam impensè Pompeio fauisti.

Amicorum studiis.) Cic. lib. 2. Off. ad eundem modum facit duas species amicitiæ: alteram priuatam, alteram publicam. sed publicā necessariam esse scribit eis qui in publico & in luce atque oculis ciuium versari volunt.

Postremò etiam serui.) Sic Iuuenalis,

„ Viuendum est rectè cùm propter plurima, tum de his
„ Præcipuè causis, vt linguas mancipiorum
„ Contemnas: nam lingua mali pars pessima serui.

Compara & confirma.) Nam

„ Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. &
„ Plus est seruasse repertum, Quàm quæsisse nouum.

Ex animo.) Prouerbium est, de quo vide Erasmum in Chiliad.

Profectò.) Hinc illud, gratia gratiam parit: & manus manum fricat.

Suffragandi studia.) Cic. 2. Off. paulò diuersius, tria tradit, quibus homines nobis bene velint, & suffragentur, quæ sunt, obsequium, fides, & admiratio.

Minimis.) Locus est comparationis à minori ad maius, hoc sensu, si minimis obsequiis adducuntur homines ad suffragandum, quantò magis adduci debent illi in quos tuum extat maximum beneficium, & quorum causas tam accuratè defendisti.

Sunt enim quidam homines.) Interpretatur consilium suum.

Sunt autem.) Describit Quintus duo genera hominum.

Nemo erit.) Similitudo rerum comparat similitudinem animorum.

Fieri non potest.) Hoc ait, quoniam centuriatis comitiis Consules etiam eligebantur.

Senatores equitésque.) Cùm centuriata comitia essent, suffragia ferebantur per centurias, habita ratione ordinis, ætatis, census. Prima autem & secunda centuria erant senatorij & equestris ordinis, quibus aliæ centuriæ facilè astipulabantur: itaque nunc Quintus Cic. hortatur M. fratrem vt maximè sibi cōciliet senatores & equites.

Præfecturam.) Hoc loco vsurpat præfecturam pro tractu illo regionum qui præfecto paret.

Facilius illa adolescentulorum.) Nam, vt inquit Horatius in arte poetica.

„ Conuersis studiis ætas, animúsque virilis,
„ Quærit opes, & amicitias, inseruit honori.

Iam studia.) Cautè monet, vt non solùm vniuersos, sed etiam singulos ciues sibi comparet.

Salutatorum.) Vocantur salutatores, qui mane deferunt matutinum aue, vt habeant cœnam aut pecuniam: Martialis.

„ Et matutinum portat ineptus aue.

Fucum.) Vide prouerbium, fucum facere.

Scire autem oportet.) Vt corycæus ausculta, vt est in veteri prouerbio.

Fraudis atque insidiarum.) Tertium membrum aggreditur, in qua vrbe sis.

Amicos & inuidere cogit.) Nunquā carere inuidia egregij fortesq; conatus.

Hæc tria sunt.) Constituit tres formas hominum nobis contrariorum.

Qui sine causa non amant.) Huc pertinet illud Martialis in Sabidium.

„ Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare:
„ Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Quoniam de amicitiis.)Transitio est, qua transitum facit ad alteram partem.
Ea desiderat.)Orditur à distributione.

Iam aßiduitatis.) Aulus Gellius lib.16.cap.10. & Cicero in Topicis, vbi agit de argumẽto à notatione,docet assiduum esse dictum ab ære dando.alij malunt ab assibus dici:alij ab assiduitate muneris faciendi pro familiari copia. Cæterùm sicuti in disciplinis non valde promouet nisi qui assiduus est, ita quoq; in petitione magistratum sine assiduitate non magnopere proficimus.

Sed quæ dicta sunt.)Significat sedulò dandam esse operam vt magnificus de nobis rumor disseminetur.

Aßiduè ac diligenter petere.) Assiduitas omnia nobis præstat.

Manilii causa.)Populus Romanus aliquot annos bellum gesserat cum Mithridate rege Ponti,neque tamen vinci potuit Mithridates,quin semper regnaret. vt ergo huic tandem bello finis fieret, Manilius Tribunus plebis legẽ tulit, qua Pompeium huic negotio præfecit: hanc legem cùm dissuaderent Catulus & Hortensius, persuasit Cic. illa grauissima oratione quæ inscribitur, Pro lege Manilia, in qua Cicero mirifice Pompeium commẽdauit, & sibi amicissimum reddidit. Pompeij quæstor vir fuit Caius Cornelius,qui & idẽ postea Tribunatu plebis functus est: qui cùm perduellionis accusatus fuisset, defensus est à Cicerone oratione quæ periit. Hortatur ergo Quintus frater Marcum fratrem, vt eorum ope & opera in sua petitione vtatur.

Pompæ plena.)Hoc est,magnificentiæ.


Descendenti.)Erat enim forum in loco decliui.

Vitare fabulam.)Efficere ne sis ridiculus.

Omnibus neruis.)Prouerbium est, quod Erasmus ait significare,toto nisu.

Hæc sunt.) Conclusio est commentarij cum captatione beneuolentiæ.

Deo gloria & gratia.



FINE